

SCRIPTA

Numéro Scripta : 921

Auteur(s) : Henri II, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Thomas d'Anfréville, Le Locheur (chanoine)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1166-1205]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Henri II, évêque de Bayeux, confirme, avec plus de détails, la même prébende (BOURRIENNE, n° CXXIX ; SCRIPTA 920), et fait de la chapelle de Saint-Jacques du Locheur une église paroissiale, dépendant de l'église de Bayeux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CXXX, t. 1, p. 156-158.

Dissertation critique

Après le 24 février 1166 (l'acte précédent).

Texte établi d'après a

Universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, ad quos præsentis scripti noticia pervenerit, Henricus, Dei gratia Baiocensis episcopus, salutem in Christo perpetuam. Noverit universitas vestra quod bonaë memoriæ prædecessor noster Philippus, episcopus Baiocensis, assensu capituli sui, sicut ex litteris, tam ipsius episcopi quam ejusdem capituli, nobis innotuit, ad eam respiciens, quæ in ecclesia Baiocensi pro parte majori obtinet, consuetudinem, ut videlicet ecclesiæ, quæ in præbendarum territoriis fundatae sunt, ad canonicos quorum sunt territoria pertineant, convenientia (?) canonicorum Baiocensis ecclesiæ constituit capellam de Locheor, cum omni jure suo, esse canonici ejusdem loci, qui tunc erat, vel post eum futurus erat, et in nullo esse subjectam ecclesiæ de Arreio, ex quo Johannes de Neelfa desineret esse canonicus præbendæ de Arreio. Nos autem, sedula consideratione advertentes quod capella de Locheor fundata erat in dominica terra canonici de Locheor, et quod homines, qui ibi ecclesiasticis aderant officiis et spiritualia ibidem percipiebant, homines erant ejusdem canonici, sua in ejus præbenda de Locheor habentes domicilia, et inibi assidue commorantes, constitutionem, a prædicto episcopo et capitulo adhibita confirmatione factam, ratam habuimus et acceptam, et ex parte nostra confirmantes id ipsum statuimus, volentes ut Thomas de Anfrevilla, dictæ præbendæ de Locheor canonicus, et hi post eum præbendam illam erant habituri, juxta tenorem prædictum capellam præfatam inconcusse possiderent. Procedente vero tempore, cum prædictus Johannes de Neelfa desiisset esse canonicus præbendæ de Arreio, ipsa præbenda adhuc vacante, priusquam eandem præbendam Willelmo de Wigetot conferremus, nos, sicut decuit, memoratam capellam, secundum præscriptam constitutionem a prædecessore nostro, et nobis, atque capitulo factam, ab omni subjectione ecclesiæ de Arreio immunem, et absolutam reddentes, ipso capitulo id grato consensu approbante, eandem capellam matrem ecclesiam parochialem, liberam, nullique alii, nisi solummodo ecclesiæ Baiocensi, subjectam, constituimus, ita quod

omnes homines de Locheor ipsius ecclesiæ de Locheor parrochiani existant in perpetuum, et eandem ecclesiam de Locheor, cum omni jure suo, præbendæ de Locheor, et prænominato illius præbendæ canonico Thomæ de Anfrevilla, sibique in eadem præbenda successuris canonicis, assignavimus, omnino libere in perpetuum possidendam. Ut ergo id stabilitate perpetua inconcussum persistat et firmum, nos, et sæpedictum capitulum Baiocense, præsentis scripti evidenti communiendum duximus certitudine, et sigillorum nostrorum appensione corroboravimus.